Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2567

Quelle:
Copyright:

detecta poſt haec *America* docuit. Dein haec legas: *Licet iudei magis communicent cum chriſtianis quam machometani, tamen chriſtiani difficilius reducere iudeos poſſunt quam illos, qui ſunt de lege machometi — in quorum lege ihesus nazarenus tanquam dei propheta commendatur vt patet in alkorano* &c.

XV. *fol.* 139. *Henricus de Haſſia de contemptu mundi.* Epiſtola inſcripta: *Reuerendo in chriſto Patri ac domino. domino ekhardo epiſcopo wormacien. Heynricus de langenſtein dictus de Haſſia in medio regni peſtilentie ſuſpirans ſalutem et ſpiritum fortitudinis conſolantem in aduerſis.* Mortuus erat Frater *Eckhardi de Derſch*, qui ab a. 1377. ad a. 1405. praedictam Sedem tenuit, hinc *Henricus* Praeſuli ſimul condolet, ſimul mortis memoriam graviter ingerit. Initium: *Audivi et conturbatum eſt cor meum, a voce contremuerunt labia mea. Ecce rumor infelix grandis diſplicentie nuncius* &c. En συμβολὴν ad Noſtri Epiſtolas a nemine, quod ſciam, memoratam.

XVI. *fol.* 143. p. 2. Trias Quaeſtionum theologicarum diſcuſſa: I. *Vtrum dampnati debeant pocius appetere non eſſe quam in miſeria permanere? II. Vtrum ſolus deus ſit adoracione latrie adorandus? III. Vtrum per indulgenciarum virtutem conſequatur viator efficaciter ſalutem?* Accedunt *Notabilia circa materiam de iudicio finali.*

XVII. *fol.* 149. p. 2. *Iſtas propoſitiones reuocauit Paryſius magiſter Job. de monteſono ordinis fratrum predicatorum et easdem vniuerſitas paryſien. aliquas tanquam hereticas aliquas tanquam male ſonantes condempnauit. Ipſe enim pôſuit eas in ſuis veſperiis et aſſeruit katholicas.* Duo hic laborant. Primum *Monteſonus* fuga ſe proripuit, et nihil revocavit; dein Univerſitas in ſua Cenſura non adhibuit τὸ *Hereticas*, ut videre eſt in *Hiſt. Univ. Bulaei* T. IV. p. 620. ubi tota haec cauſſa enarratur, *Propoſitiones*que referuntur, ut in praeſenti *Codice*, in quo ſuccedit Revocatio M. *Johannis Thome*, qui *Monteſoni* ὑπερασπιστὴς fuit, facta in die Annunciationis B. V. coram populo *Pariſiis* hoc initio: *Ego magiſter Job. Thome frater ordinis predicatorum predicaui ante 14. annos publice coram populo, quod beata virgo maculata fuit, concepta in peccato originali, et qui tenet contrarium male credit et peccat mortaliter et eſt hereticus. Et quod feſtum conceptionis marie non eſt celebrandum. Item* (Iſta) *ego reuoco tanquam falſa et male ſonancia et erronea et ſcandaloſa preſumptuoſa mala et diſplicentia bonarum mentium et piarum aurium offenſiua. Item ante 14. annos ego tranſtuli Ieremiam de latino in gallicum de 11. Capitulo ad 30. et impertinenter ibi tractaui unam queſtionem ſ. vtrum virgo maria fuit concepta in originali peccato* &c. Deeſt haec Revocatio in *Bulaeo*, qui tamen

alias